



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Vigesimus Sextus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

MODUS VIGESIMUS QUINT. 135

quem D. Chryso. Ser. 66. cum ejus tristitiam describens, *pauperem, exutum corpore, vestitum panis dixisset; tandem de ejusdem tristitiæ mutatione in gaudium sic ait. Hinc est, quod recipit, pro doloribus requiem, pro opprobrio gloriam, pro contumeliis honorem, pro despectu gratiam, pro panis immortalitatem, pro vulneribus premia, pro siti, refrigerii fontem, pro fame, celestis mensa delicias sempiternas & quem diutius angulus non cepit, sinus Divina consolationis includit.* Audiant hoc tristes quia gaudebunt, audiant lugentes, quia consolabuntur. Tu vero dives ait idem, *fulgens quondam purpurâ, nunc tegere fimo, pro coccino vestire flammis, pro molli discubitu, sustine tormentorum dura, pro lautis ferculis, epulare pœnas, copias inopiâ pensa, ebietates, sui digere, pro odoribus aspergere fœtore, & cui astiterunt voluptatis obsequia, astent tibi ministerianunc pœnarum.*



MODUS VIGESIMUS
SEXTUS.

IN duas partes, dividitur oratio, in quarum prima, tractatur de ipsa quasi substantia & natura rei; in altera, de ejus proprietatibus, aut circumstantiis, Exempli gratia si primo quis agat, de mysterio, magnitudine, excellentia Incarnationis, tum de ejus proprietatibus, quod sit facta post consensum Virginis, quod hominibus, imo & spiritibus

malis, ut communior fert sententia celata; quod in carne, de Virgine assumpta &c. &c. similiter, si de ascensione Domini locuturus, prius ejus Magnificentiam, excellentiamque proponat, tum explicet circumstantias, quare post 40. dies! quare discipulis præsentibus? quare de monte Oliveti? quare vestigiorum signis relictis in lapide &c. &c.

P R A X I S.

In nativitate B. Virginis Mariæ.

Liber Generationis Jesu Christi Matth. I.

Accessus & Propositio. Certum est, ideò librum generationis hodierno festo prælegi, ut in eo sacratissimam Virginem MARIAM, hodie mundo editam, Matrem esse Dei intelligamus. D. tamen Bernardus, eam quæ Dei Mater nascitur, vult etiam esse matrem nostram. Verba illius sunt in salutatione D. Virginis. *Tu mater Regis, tu mater exulis, tu mater Dei, tu mater hominis* quod veluti explicans, D. Ans. apud Vieg. in Apocalyp. ait *multitudo electorum, cum Christo, in utero Virginis prædestinata descendit.* En rationem Matris hominum, quia hodie nascens virgo, non aliter Christum concepit, quam ut electos conciperet. Confiteamur igitur, & consalutemus minimè dubii, Matrem patã Dei, Examinemus etiam, quomodo eadem conceperit electos, ut mater fieret hominum, tum verò quidã tali matre sperare possimus, inquiramus.

Con-

Confirmatio debet constare Probatione quod in utero Virginis electi sunt concepti, & est Probatio substantiæ rei; tum, Matris proponi proprietates.

Prima pars Gen. 25. 22. Cum paritura Esau, & Jacobum Rebecca esset *collidebantur in utero ejus parvuli*, inquit Scriptura. *Porrexitque ut consuleret dominum, qui respondens ait, dua gentes sunt in utero tuo, & duo populi, ex ventre tuo dividentur*, quo responso, ut clarum est, appellata fuit Rebecca, Mater non duorum solum hominum, sed duorum populorum. *Dua gentes sunt in utero tuo*, quasi dicat scriptura: *Duos filios geris, & simul innumeros homines generas; quia duo tui filii, duarum gentium capita sunt, & nascuntur: ad quos quotquot sequentur, tanquam ad Principes generis sui referentur.* Eodem omnino sensu quod proposuimus explicandum, ut Beata Virgo MARIA, solum quidem JESUM CHRISTUM servatorem nostrum, secundum carnem in utero gestaverit: quia tamen ille caput est, & primogenitus omnium electorum, cum Christo in uterum Virginis descendisse dicatur: adeoque ideo Mater Dei, & hominum, eadem consalutatur. Psalm. 109. *Tecum principium in die virtutis tue.* Explicat locum Eruditus Jansen. *Ante Luciferum, omnemque naturam, ego te, mea virtute, sine virili cooperatione, è solo virginis utero, hominem generare decrevi; jamq̄ tunc in mea predestinatione, genui primogenitum te, & caput omnium filiorum constitues* Nec alius omnino in uterum Virginis descendit:

quam qualis prædestinatus fuit; ut sic in eundem
uterum, descenderet cum illo, numerus electorum
quod rursum, Regius Psaltes affirmaturus, ita id sibi
certum asserit, ut exultabundus in clamet. *Viderunt
ingressus tuos Deus, Psal. 67. Ingressus Dei mei, Re-
gis mei, qui est in sancto. Qui sunt hi obsecro ingres-
sus? nisi ingressus incarnationis in uterum Virginis?*
Nusquam enim, ille qui habitat in sancto, factus
magis Deus meus, aut Rex meus, quam cum meam
assumpsit humanitatem. Consentit Augustinus
hic. *Ingressus tui, inquit, visi sunt, id est manifesta-
ti, revelata gratia novi testamenti, quæ utique alia
non est, quam incarnationis, sed jam ingressus no-
vimus, quales fuerint audire volumus. Pergit ergo
Psaltes, & simul cum Christo ingressos Virginis u-
terum electos, nunciando ait: Ibi Benjamin adole-
scentulus in mentis excessu: Principes Juda, duces
eorum principes Zabulon, principes Nephtali hoc
est, ut explicat iterum D. Antistes Hipponensis.
Principes Confessionis, fortitudinis, principes fidei,
spei & charitatis, verbo, electi. Nunquid ergo
Sion dicet homo & homo natus est in ea Psal. 86. Nun-
quid unius filii matrem illam consalutabimus? Ne-
quaquam. Sed sicut latantium omnium habitatio
est in te sancta Dei Genitrix: Verè, nemo in te non
videt, nisi qui rectè non videt, choros castrorum O
Castissima Sulamitis Maria! Cant. 7. verè, *vernens
tuus sicut acervus tritici, stipatus liliis* juxta quod ex-
plicat D. Ambros. lib. de institut. Virginum.
*Vnum granum frumenti, fuit in utero virginis, Chri-
stus Dominus; & tamen acervus tritici dicitur, quia
granum hoc virtute, continet omnes electos, ut sit ille
primo-**

primo-

primogenitus in multis fratribus. Secunda Pars.
 Proprietates Matris. Erigere jam spes Christiana!
 erigere gens ad nascendum de tali Matre electa!
 O felix miniumque felix, cui Christus frater est,
 cui Mater MARIA! vere Mater, quæ de se natos,
 nutrit, fovet, tuetur, nihilque quod piam Matrem
 deceat desiderari patitur. *Nurit*, undè à sapientia
 æterna edictum, Cant. 1. *Meliora sunt ubera tua vino,*
 & ad hoc quod spiritualiter sit significandum,
 imago; B. Virginis de Sardenai non longe Damasco,
 visa carnis mamillas emittere ut narrat Nierembes
 libro 10. cap. 78. quibus vestita huc usque apparet,
 gratissimo liquore, inde incessanter stillante.
 Fovet; hinc iterum in Cant. 6. *pulchra ut luna,*
 & *electa ut sol* dicitur qui duo planetæ, fovendis
 omnibus germinibus, maximè aptè, & ad id à natura
 dati. Unde tam sol quam luna, dicitur Parens rerum.
 Hinc & ipsa de se per spiritum sanctum Eccles. 24.
Radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius,
 & *in plenitudine sanctorum detentio mea.* Tolle radicem,
 sustulisti vitam, tolle hæreditatem, invenisti egestatem;
 tolle fulcrum, molis induxisti ruinam. MARIA radix
 justorum est, MARIA, hæreditatem donat, MARIA
 sustinet suos ac fovet. Hac sublata nemo nõ ru-
 erit, ab hac fatus nemo abũdanter nõ creverit. *Tue-
 tur;* O quis, hæc præsidia digne explicet! vere mille
clypei pendent ex ea, Cant. 4. *Omnis armatura fortium*
 ideoq; D. Damas. Orat. 1. de Nat. & Ser. 1. de Dorm.
 ac Assumpt: appellat illam, *Gratiarum pelagus,* con-
 ceptaculum potentia divina, officinã immensorũ bono-
 rũ. *Omne mentis, captũ, & intelligentiã superantium.*

¶

& Bernar. Ser. de Nativi. B. V. omnes monens, ait.
*In Mariam Deus totius boni plenitudinem posuit, ut
 proinde, si quid spei in nobis esse volumus, si quid gra-
 tia, si quid salutis, ab ea noverimus redundare.* O
 Maria! O Divinæ potentæ & clementiæ thesau-
 rus inexhaustus! quis mihi tribuat, ut quod B.
 Stanislaus Kostha à socio itineris quæsitus, num te
 amaret? ingenti cordis, vultusque ardore dixit.
*Quid queris Pater? Mater mea est, ideo pari fer-
 vore hodie proloquar, atque ut id alii credant, ac
 sibi persuadeant efficiam.* Verum nec deest, nec
 deerit unquam Matris pietas in Maria, dum non
 deficiat filiorum debitum in nobis 2. Reg. 2. Dicit
 Dominus ad David de Salomone. *Ego ero ei in Pa-
 trem, & ille erit mihi in filium, sed quo pacto! Pacto
 salis, quem admodum illud appellatur 2. Paral. c. 13.*
 id est sub Conditione: si mandata ejus servaverit.
 Idem nobis persuadeamus necesse, de nata hodie,
 Dei & nostrum matre; semper illam futuram ma-
 trem, si semper nos fuerimus filii; obsequentes
 mandatis & imperiis ejus. Cæterum loquor cum
 Christo: Ser. 12. ad illa verba Pater: Abraham, mi-
 serere mei. *Infelix, quem sic ipsa Origo arguit, quem
 sic ipse lucis author addicit. Infelix, cui in judicio, pro
 magnitudine Criminis non misereri genitor, non pater
 ignoscere non affectio potuit subvenire. Tu
 dicas idem de MATRE &
 meliora cura.*

MODUS